




15





CONCLUSUM *Serenissimi Regis* AUGUSTI III.

*Domini nostri clementissimi,
Ordinum Regni, & magni Ducatūs
Lithuaniæ,*

In Congressu ad latus Regium , per generalem
corundem Confoederationem constituto, Olivæ

Die 30. Julii Anno Domini 1734. sub conti-
nuatione ejusdem Confoederationis,
expeditum.

Præsentibus. 
Ex Senatu.

Admodum R^{do}. & R^{do}. in Christo Patribus
Joanne Lipski Cracoviensi Duce Severiæ,
& Andræa Zaluski Plocensi , Episcopis,
Magnificis, Stanislao Ciolek Poniatowski Ma-
soviax,

A



soviæ, Ansgario Czapski Pomeraniæ, Morsztyn Livoniæ, Josepho Potulicki Czerniechoviensi, Palatinis; Francisco Skarbek Lenciciensis, Czapski Gedanensi, tum generosis Rozdrażewski Rogozneni, Casimiro Włostowski Krzywinensi, Alberto Wessel Varsaviensi, Castellanis; magnificis Paulo Principe Sanguszko supremo magni Ducatûs Lithuaniæ Mareschalco, Maximiliano Ossolinski supremo Regni Thesaurario, Francisco Bielinski Curiæ Regni Mareschalco, Ministris Statûs.

Ex Equestri Ordine.

Generosis Antonio Poninski Instigatore Regni, & Mareschalco Confœderationis generalis Statuum Reipublicæ, Antonio Dembowski Referendario, Georgio Towianski supremo Camerario, Joanne Cantio Moszynski Thesaurario Curiæ, Joanne Malachowski Dapifero, Michaële Rzewuski Incisore, Francisco Szemb beck Vexillifero Curiæ, Dignitariis Regni; Ferdinando Plater Wilkomiriensi, Michaële Nie-

Nieborski Ciechanoviensi, Jacobo Narzymski Nurensi Camerariis, Alexandro Wollowicz Mscislavensi Mareschalco Tribunalis magni Ducatus Lithuaniae, Antonio Dombski Juni-Vladislavienſi, Adamo Rostkowski Vifnensi, Boguslao Niezabytowski Propoyscensi, Casimiro Niesiolowski Cyrynenſi, Joanne Wessel Ostrovienſi, Sigismundo Linowski Zgierscensi Capitaneis; Matthia Poniatowski Lanciciensi, Matthia Grabowski Varsaviensi, Vexilliferis, Ignatio Vrbanski Sanocensi, Ludovico Sienicki Buscensi, Paulo Kurdvvanovvski Sochzoviensi, Subdapiferis; Casimiro Kicki Subjudice Ciechanoviensi, Casimiro Bleszynski Petricovienſi, Casimiro Cieszkiewicz Mozyriensi, Renard Nurensi, Pincernis; Thoma Polanovvski Belzensi, Michaële Suski Lomzensi, Venatoribus, Stephano Jastrzembovvski Ensifero & Mareschalco Confederationis Palatinatū Lencicensis, Stanislao Principe Czartoryski Vexillifera magni Ducatus Lithuaniae, Josepho & N. N. Dombski Palatinidis Brestensibus Cujaviae

A 2

Fra-

Fratribus, Ignatio Poninski, Ignatio Dzialska,
Jelovwicki Capitaneo Vlanicensi Trembecki,
Joanne Narzymski, Josepho Cyvvinski,
Joanne Gurovvschi, Sikorski, Alberto Miaskovvski,
Albracto Plaskovvski, Petro Kczevvski,
Josepho Strutinski, Francisco Idzikovvski,
Stanislaw Ivvanski, Marco Szembeck, Joanne Rybinski,
Ernesto Rexin, Colonellis
Exercitū Regni.



HES

A

AUGUS-

AUGUSTUS III. DEI

*gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux
Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Ma-
soviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volby-
niæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ,
Smolensiæ, Severiæ, Czernicoviæ-
que, nec non Hæreditarius Dux Sa-
xoniæ, & Princeps Elector &c.*

Vniversis & singulis quorum interest, notum
facimus, quia Nos vivâ retinentes me-
moriâ nexus illos, quibus ad invicem cum Or-
dinibus Reipublicæ Cracoviæ sub tempus feli-
cis coronationis nostræ, ac in reassumptione
generalis Confoederationis pro tuitione, &
propagatione Sacro-Sanctæ Fidei, Romano-
Catholicæ, Majestatis Nostræ Regiæ, Jurium,
ac Libertatum Nobilitarium uniti sumus, quem-
admodum huc loci, & in hoc tempore, quô
Omnipotentia Divina evidentius, & efficacius

A 3

voca-

vocationis Nostræ ad Thronum Poloniæ voluntatem suam universo Orbi manifestatam facit, & his, quos Nobis largitur, successibus firmat Regnum nostrum, properare non tardavimus, non aliâ intentione, nisi ut moderno uteremur successu ad sedandam Civium in quibusdam Palatinatibus fatalem animositatem, ad reparandam inter Status necessariam confidentiam, concordiam, & unionem, ad amovendas à Republicâ cunctas infelicitates, & ad instaurandam plenam Securitatem: ita in fundamento Reassumptionis Cracoviensis, quæ in manibus nostris posuit concessionem provisinalis Consilii, ejusmodi Consilium hic Olivæ tenere permisimus; ac ea omnia, quæ Status Reipublicæ Confœderati ex indispensabili necessitate constituerunt, authoritate Nostrâ corroboramus, simulque cum iisdem Statibus ad executionem promovere declaramus, nihil quidquam derogando authoritati Comitiorum & Constitutionis Anni 1717. de iisdem indicendis Scriptæ.

Et



Et quidem principaliter coram DEO, ac
universo Orbe manifestamur, quod cunctam
prosperitatem, & satisfactionem nostram in
communi felicitate, & salute Populorum con-
sistere volentes, nihil magis desideramus, quam
internam, eaenque firmam pacificationem, per
reunionem disjunctorum animorum; quapro-
pter post expiratum Varsaviæ & Cracoviæ per
Generalem Ordinum Reipublicæ Confœdera-
tionem parti adversæ concessum ad resipiscen-
tiā tempus, licet iideū Ordines Confœdera-
ti extensionem rigoris in legibus descripti urge-
rent, super his, qui in Regno, & magno Du-
catu Lithuaniae in dies magis ac magis obsti-
nationes conventicula sua particularia, legibus,
ac bono publico præjudiciosa, inhumanique
rigoris plena attentarunt, & attenant, No-
bilitatem in perniciem Patriæ concitant, Po-
pulum innocentem discrimine nullo variis con-
tributionibus aggravant, & ad ultimam misé-
riam reducunt, Curias Nobilitares, Pagos, &
Oppida vastant, Personas Nobiles domi, & in
viis publicis violenter rapiunt, incarcerant, &
mo-

modō quōdām non Christiano tractant, Judi-
cia quædam sub nomine *Kaptury* erigunt;
Nos tamen gratiæ & auxilio DEI confiden-
tes, simulque ex præsenti rerum circumstantiâ
resipiscentiam eorum minimē desperantes, no-
lumus discedere à glorioſissimo Regnantium
trāctu clementiæ, cum quâ omnibus occurri-
rimus, ut iisdem faciat verecundiam peccandi,
& retrahat ab interitu in præceps ruentes; ad-
hoc itaque ſex Septimanas à datâ præſenti resi-
pientiæ cauſâ indulgemus, simulque Dei, &
Patriæ amore unumquemque obſtringimus, ut
non prologando, neque augendo publicas ca-
lamitates properet ad unionem, & in unione
ad salvandam ſimul Nobiscum Patriam ſuam.
Quicunque autem hocce temporis beneficiō,
& oblatâ ſibi clementiâ noſtrâ abuteretur, ob-
ſtinatus in nocivâ pertinaciâ ſuâ auderet inter-
nam tranquillitatem turbare, publi am felici-
tatem impedire, contra quemlibet talem, ejus
complices, ac cooperatores rigorem legum' an-
tiquarum, & præſentis Confœderationis gene-
ralis

ralis extendere permittemus; quō fine simul ac
ad promptiūs, & efficaciūs coērcendam effu-
sam in omne nefas animositatis licentiam, Ju-
dicia Confœderationis juxta Constitutionem
1717. & nuper reassumptam Cracoviæ Con-
fœderationem generalem per litteras nostras
universales intimare declaramus, non derogan-
do quidquam Judiciis Tribunalitiis, Castrensi-
bus, & Terrestribus, ubi licitum erit omnibus
injurias suas vindicare.

Quoniam verō in termino præsentis Con-
siliī R^{dus} in Christo Pater Andreas Zaluski E-
piscopus Plocensis, magnifici Stanislaus Ciolek
Poniatovvski Masoviæ, Petrus Przebendovvs-
ki Mariæburgensis, Petrus Czapski Pomeraniæ,
Morsztym Liveniæ, Palatini; Maximilianus
Offolinski supremus Thesaurarius, Franciscus
Bielinski Marechalculus Curiæ Regni; Gene-
rosi Rozdrazevski Rogosnensis Wlostovvski
Krzyvvinensis, Wessel Varsaviensis Castellani;
Adamus Rosthovvski Capitaneus Visnensis,
Stanislaus Princeps Czartoryski Vexilliferides

B

magni

magni Ducatūs Lithuaniæ; Sapieha Capitaneus Vilkoviensis, Josephus, & frater suus Dombski Palatinidæ Brestenses Kujaviæ, & plures alii, præstito juramento, hâc quæ hic ponitur.

Rothâ.

*E*go N. N. juro Omnipotenti Deo Trino, & Uni, quod nullō contrariō, & excogitabili modō interpretando præsens juramentum meum Serenissimo Regi AUGUSTO III., quem liberis suffragiis concorditer electum, & jam feliciter coronatum pro Rege Poloniæ, & Domino meo recognovi, intaminatam fidem, & solitam juxta Leges obedientiam præstabo. Attentatam contra plures Constitutiones proclamationem Stanislai, Personamque ejus, quem Respublica juxta antiquas Leges, & Comitia Lublinensia, per Confœderationem Sendomiriensem ejuravit, per Consilium magnum Varsoviense, & per bina Comitia 1717. & 1718. condemnavit, ac pro hoste Patriæ declaravit, deserō, ac ejuro; Omnes actus favore ipsius peractos cassō, condemnō, & annihilo; benevolēque accedendo ad generalem Statuum Reipublicæ Confœderationem circa tuitionem Sacrae Regiae Majestatis inchoatam, & Cracoviae reassumptam libenter accepto, simulque cum Republicā manutenebo ea omnia, quæ ad tuitionem Fidei Sanctæ Romano-Catholicæ, Majestatis, Legum, & Lib-

bertatis pertinent: Et si quod infortunio inductus fui
ab his, qui ad excitandam in Republicā animositatem
contribuerunt, ad sedandam eandem sinceré, & efficac-
iter pro viribus, & pro posse meo operam dabo, si-
mulque tranquillitatem Reipublicæ quantociūs curabo.
Contra Sacram Regiam Majestatem AUGUSTUM III.
nunquam moliri directe, aut indirecte in mente habeo,
nec quidquam contrarii in recessu cordis mei reservo,
sed circa eundem Dominum meum firmiter perseve-
rabo, eumque ad extrema vitæ, & Substantię meæ
tuebor. Nullas machinationes, cointelligentias, ac
correspondentias nocivas practicabo, imo contra quem-
libet, qui aliquid contrarium tentare vellet, ac si con-
tra hostem Patriæ in perniciem ejus consurgam, &
in hoc vinculo constantē, tam in prosperis, quam in
adversis, nihil quidquam circa Dei auxilium metuen-
do, aut aliquod privatō respectu laborando, tam diū
manebo, & perseverabo, quoad usque Respublica ab
intra, & ab extra plenē non pacificabitur. Sic me
Deus adjuvet, & innocens Passio Filii ejus.

Ad præsentem Statuum Reipublicæ Confœ-
derationem generalem accesserunt, eos itaque
in numerum gratorum Patriæ Filiorum recipi-
endo, ad commune Consilium nostrum admit-
timus.

Cùm autem Regna sine justitiâ sint mera
latrocinia, igitur ad compescendos omnes ex-

cessus, vigore, & authoritate præsentis Consilii omnia subfcellia Palatinatum, & Civitatum juxta denunciationem felicis coronationis Nostræ inchoanda, & continuanda esse mandamus, quorum securitatem simul & Comitiolorum vi Legum, & Constitutionum antiquarum præcustodimus, & cavemus.

Et quoniam Exercitus Regni extra debitam, quam Lex habere jubet, extat jurisdictionem, unde nec Respublica securam pacificationem, nec Exercitus regularia stipendia juxta Constitutionem 1717. habere valet; ideo super hocce Exercitu utriusque authoramenti, concessâ jam eandem jurisdictionem supplendi potestate generoso Michaeli Rzewuski Incisori Regni uti primario Colonello nostro, cuius in Patriam zelum, ac fidem in Nos satis probatam habemus, eidem committimus, ut dictum Exercitum ad debitam Nobis, & Reipublicæ obedientiam reducere curet; Turbas vero licentiosas, quæ nunc supra modum invaluerunt, quatenus juxta Constitutiones Regni, signanter Annorum 1609. 1655. 1717. & aliarum compescere, & profligare nitatur. Cui quidem Exercitui Regni, & magni Ducatus Lithuaniae, postquam ad debitam Nobis, & Reipublicæ obedientiam redierit,

seme-

semestre stipendium ex Millionibus per Pacta
Conventa stipulatis, indilaté persolvere man-
dabimus.

Quemadmodum autem Confœderati circa
tutionem nostram ordines Regni, & magni
Ducatûs Lithuaniæ sancto Reassumptionis Cra-
coviensis impositionem Stanislai, ejusque favo-
re subsecutos in Palatinatibus, & Terris priva-
tos actus, & conventicula, manifestationes pro-
testationes, ac lauda attentata cassârunt, & eli-
minanda demandârunt, quod Nōs quoque ap-
probamus, & demandamus: itâ pariter cuncta
scripta Personæ Nostræ, & juribus Reipublicæ
confœderatæ præjudicosa, & injuriosa, in Ci-
vitate nostrâ Gedanensi compilata, & ad acta
jurisdictionis Magistratûs Gedanensis porrecta
cassamus, & annihilamus, ac insuper ut ex iis-
dem actis indilaté eliminentur, rescriptum no-
strum eô fine dabimus.

Satisfaciendo postulatis, ac votis Ordinum
Reipublicæ confœderatæ, Fortalitium Geda-
nense, Minda dictum, ubi nunc inest præsidium
nostrum pro assecurandâ hac parte, & Portu à
quibusvis insultibus sub eodem præsidio nostro
ad plenariam Reipublicæ pacificationem serva-
bimus, & tenebimus.

Quoniam magnificus supremus Thesaurarius Regni ad gremium Reipublicæ confœderatæ accessit, ac per consequens ad exercitium ministerii sui juxta tenorem Reassumptionis Cracoviensis redit, igitur ut ea, quæ per præfatam Reassumptionem exolvenda injuncta sunt, ex proventibus Reipublicæ quantociùs persolvat, eundem obligamus.

Dispositionem verò Thesauri magni Ducatus Lithuaniae per confœderatos Reipublicæ Status factam ad interim approbando, exolutionem assignationum a generoso Mareschallo generalis Confœderationis datarum, magnifico Palatino Trocensi committimus.

His itaque, quibus tantis per præfens rerum status, & publica negotia habebant, expeditis indilatum ad Regiam, & Meditullium Reipublicæ redditum nostrum, & per consequens permissionem ulterioris Consilii, & usum Judiciorum Confœderationis ad latus nostrum, Statibus Reipublicæ confœderatæ spondemus.

Quodquidem Conclusum, ut eo citius innotescat Vniuersis, illud generoso Mareschalco Confœderationis generalis per Palatinatus, Terras, & Districtus transmittendum, publicandumque committimus.

Antonius Lodzia Poninski,
Confœderationis generalis Mareschalcus.

Joan-

Joannes Lipski, Episcopus
Cracovienis.

*Salvis juribus Regiis quoad
Civitates Prussiarum. And-
reas Zaluski*, Episcopus
Plocensis.

*Salvis juribus Regiis quoad
Civit. Prussiarum. S. Ciolek Po-
niatowski*, Palat. Małoviæ.
*Petrus Georgius Przeben-
dowski*, Mariæburgensis.
*Salvis juribus Terrarum
Prussiarum.*

Joannes Ansgar. Czapski,
Palatinus Culmenis. *Salvis
juribus Terrarum Prussiarum.*

P. J. Czapski, Palat. Pome-
raniæ.

J. R. Potulicki, Palat. Czer-
niekowicæ.

Franciscus Skarbek, Castel-
lanus Lenciciensis.

Cosmirus Włostowski, Castellanus Krzywinensis.

Jacobus Narzymski, Succamerarius Nurensis, Consiliarius
ex Provincia Majoris Poloniae.

Stanislaus Poninski, Consiliarius ex Provincia Majoris Poloniae.

Michael Nieborowski, Succamerarius Ciechanoviensis, Consilia-
rius Confoederationis ex majori Poloniae.

Matthias Poniatowski, Vexillifer Palatinatus Lenciciensis.

Matthias Kemlada Grabowski, Vexillifer Terra Varsaviensis.

Melchior Kalcksztein Stolinski, Vexillifer Palatinatus Cul-
menis.

Paulus Princeps Sanguszko,
Supremus Marechalculus,
M. D. Læ.

*Maximil. de Tenczyn Ossó-
linski*, Thesaurarius Re-
gni. *Salvis juribus Re-
giis, quoad Civitates Pruf-
fiaæ.*

F. Bielinski, Mareschalculus
Curiæ Regni.

A. S. Dembowski, Referen-
darius Regni.

Christoph Towianski, Succa-
merarius Regni Poloniae.

M. Rzewuski, Incisor Regni.
Franciscus Szembek, Vexilli-
fer Curiæ Regni.

Joannes Malachowski, Dapi-
fer Regni.

Georgius Sapieha, Capita-
neus Wikoviensis.

Alexan-

QK Y2 2117

Alexander Kicki, Subjudex Ciechanoviensis, Consiliarius ex Provinciâ Majoris Poloniæ.

Stephanus Jasprzembowski, Ensifer, & Mareschalcus Confœderationis Palatinatûs Lenciciensis.

Sigismundus Linowski, Capitaneus Zgierscensis, Consiliarius, ex Provinciâ majoris Poloniæ.

Ignatius Urbaniski, Subdapifer Terræ Sanocensis, Consiliarius, ex Provinciâ minoris Poloniæ.

Albertus Skarbek, Castellanides Lenciciensis.

Ferdinandus Plater, Succamerarius Vilkomiriensis, Consiliarius ex Provinciâ M. D. Læ.

Alexander Wollowicz, Capitaneus Castrensis Mscislaciensis, & Babilicensis, Radomiriensis, & Porudniensis Fenutarius, Colonellus in Exercitu magni Ducatus Lithuaniae, Consiliarius confœderatorum Ordinum Reipublicæ ex Provinciâ M. D. L. Mareschalcus Confœderatorum Palatinatum Trocensis, Mscislaviensis, Districtûs Koviensis, ac Tribunalis M. D. Læ.

Boguslaus Niegabylowtcki, Capitaneus Propoyscensis, uti Consiliarius Confœderationis.

Casimirus Nieholowski, Ciriensis Capitaneus Confœderationis Palatinatûs Nowogrodensis Mareschalcus.

Ludovicus de Boncze Sienicki, Nuntius ex Ducatu Samogitia.


Stanislaus Kalinowski, Capitaneus Cobylaenfis, Nuntius ex Ducatu Samogitia ad Serenisimum Regem.

Michael Suski, Venator Terræ Lomzensis, Consiliarius ex Provinciâ majoris Poloniæ.

Paulus Kurdwanowski, Subdapifer Sochaczoviensis.



n.c.



VD 18


ULB Halle
008 344 167

3



B.I.G.

Farbkarte #13



ONCLUSUM
Serenissimi Regis
GUSTI III.

ni nostri clementissimi,
r Regni, & magni Ducatus
Lithuanie,

u ad latus Regium, per generalem
Confœderationem constituto, Olivæ
ii Anno Domini 1734. sub conti-
one ejusdem Confœderationis,
expeditum.

Præsentibus. BIBLIOTHECA
Ex Senatu. PONIATOWIANA

um R^{do}. & R^{do}. in Christo Patribus
ne Lipski Cracoviensi Duce Severiæ,
ndraea Zaluski Plocensi, Episcopis,
Stanislao Ciolek Poniatowski Ma-
soviaæ,

A

